

In hac autem contrata consuetudo quædam observatur. Nam nunquam corpus aliquod sepelitur, sed ipsa corpora solum in campaneis dimituntur, et ex nimio calore cito destruuntur et consumuntur. Verum corpora horum fratrum bene quatuordecim diebus illic fuerunt in sole, et ita recentia et integra sunt inventa sicut erant illa die qua passi fuerunt suum martirium gloriosum. Sic autem videntes qui in illa terra aderant Christiani, sua corpora acceperunt, quæ postea sepulturæ tradiderunt.¹

13. *Fr. Odoricus colligit ossa fratrum ; miracula per illa operata.*

Tunc ego frater Odoricus de suo sciens martirio glorioso illuc ivi,—et sua corpora ego accepi quæ jam fuerunt tradita sepulturæ.² Quia per sanctos suos Deus ipse multa et magna mirabilia operatur, per istos voluit potissime operari. Nam ego frater Odoricus cum ossa istorum fratrum sic accepissem et pulchris toaleis³ alligassem, ipsa in Indiam Superiorem ad unum locum nostrorum fratrum cum uno socio et famulo deferebam.⁴ Dum autem ea sic portarem, ibi domo cujusdam habui hospitari,⁵ et ipsa ossa, imo potius reliquiæ sanctæ dici debent, supposui capiti meo et me dedi dormitioni. Et dum sic dormirem ipsa domus a Sarracenis subito fuit accensa, ut me facerent mori.⁶ Alta voce populi universi [sic]. Nam hoc est imperatoris preceptum ut cujus domus accenditur⁷ ipse penitus moriatur. Ipsa domo sic accensa socius meus cum famulo exivit domum, me in ea cum ossibus remanente, qui dum sic essem in domo jam ardente, ossa horum fratrum ego accepi et⁸ in uno angulo ipsius me aptavi.⁹ Sic autem igne domum comburente, tres anguli ipsius domus fuerunt combusti, illo solo in quo eram remanente : me autem sic in illo angulo residente, ignis desuper me aderat non me lædens nec ipsius domus angulum comburens ; quamdiu autem in domo cum istis ossibus permanebam, ignis nunquam descendebat sed ad modum æris¹⁰ ipse desuper residebat. Cum autem domum egressus fuisset, tunc ipsa totaliter fuit combusta, non solum ipsa sed et multæ aliæ quæ illi contiguæ videbantur, et sic inde illæsus exivi.

14. *Idem.*

Aliud quoque insuper evenit quod michi accidit in eundo. Nam dum sic per mare cum istis ossibus ego irem ad unam civitatem quæ vocatur Polumpum,¹¹ ubi piper nascitur habundanter, nobis defecit totaliter

¹ *Here Far. alone has* "Passi autem fuerunt hi beati martyres pro fide Christi martirium gloriosum anno ab incarnatione Domini nostri Jhesu Christi MIII....."

² *Boll. et apertis sepulchris suscepi ossa eorum humiliter et devote.*

³ *Toaleis, towels. Ven. has manutergiis ; Mus. tuallis.*

⁴ *Here Boll. has* omnipotens quoque Deus qui per prophetam mirabilis in sanctis suis dicitur, etiam per istos sanctos sua voluit mirabilia demonstrare.

⁵ *Boll. et cum cum socio pergerem ad quiescendum.*

⁶ *Mus. tanquam reus (reum) illius ignis accensi.*

⁷ *Mus. ut si quis reus incendii domus esset. These two last variations seem to be glosses.*

⁸ *Boll. et invocato Dei auxilio.*

⁹ *Boll. Mira Dei clementia qui se pie clamantibus non elongat !*

¹⁰ *Ut. has ad modum crucis extensus, which seems an arbitrary embellishment of the copyist.*

¹¹ *Should be Polumbum, as in Ven., Far., Mus ; Hak. has Polumbrum ; Marc. Polumbo et Polombo.*